

www.e-rara.ch

**Ioannis Cantacuzeni Constantinopolitani regis contra Mahometicam
fidem Christiana & orthodoxa assertio**

Johannes

Basileae, [1543]

Universitätsbibliothek Basel

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-95426>

[In librum Ioannis Cantacuzeni]

www.e-rara.ch

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

Nutzungsbedingungen Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelinformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

Terms of Use This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

Conditions d'utilisation Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

Condizioni di utilizzo Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]

IN LIBRVM IOANNIS CANTACV- ZENI REGIS CONSTANTINOPOLITA- ni contra sectam Mahometicam,

ARGVMENTVM.



CHAE MEMIDES quidam uirilem aetatem iam ingres-
sus, homo non ignobilis, & fortunae splendidae, docendi
munus administrabat. Nam & ipse cum patriae legis, &
omnium quae ad hanc pertinent aemulus esset, Mahome-
tem & legem illius magne omnino aestimationis esse per-
suadere uidebatur. Hic uerae pietatis iubare excepto, cum
patriam superstitionem condemnauisset, Deum uerum
agnoscit. Ob hoc uero omnibus bonis suis spoliatus, ad piissimum Roma-
norum regem, qui tunc IOANNES CANTACVZENVS erat, confu-
git: quo etiam amice usus est. Cum uero Deus regem ad uitam philosophiae
Christianae studiosiorem uocaret, ipse etiam inter regis comites assumptus,
una cum eo uitae Monasticae inauguratus, mutato nomine Meletius dicitur.
Familiari regis colloquio tum non parum adiutus est, cum hic nimirum il-
lius informaret animu, & in religione Christiana institueret. Caeterum haec
humani generis hostem aequo animo ferre, non erat facile. Persam itaque quae-
dam armat contra Meletium, cui persuadet ut literis dolosis & uersutis illum
aggrediatur, & impellat ut ueritatem mendacio permutans, ad pristinam reli-
gionem redeat. Meletius autem quamuis cupidissimus esset huiusmodi semet
ipsum scriptis opponere, dicendi tamen facultate destitutus, ad Regem con-
fugit, cui literas offert, & auxilium in imminente concertatione ab illo postu-
lat. Rex itaque cum uiri institutum approbauisset, certamen suscipiens, Mele-
tio simul & ueritati linguam ceu mutuo dat. Oratio autem, cuius argumentu
erat, epistolam cuius supra meminimus reuincere, contra Sarracenorum ha-
resim progreditur, defendens quidem Christianorum dogmata, obiter uero sin-
gulas Sarracenae haereticis partes percurrens: tum quatuor sermonibus ostendit,
hanc nec ueritati nec sibi ipsi esse consentaneam, utpote quae ipsa sibi multis
in locis non satis conueniat. Quod autem Moysis simul, prophetarum & Euan-
gelij testimonijs Christianae religionis mysterium demonstrat, nemini miru
uideatur, cum & ipsis Sarracenis pro sacrosanctis habeatur, quae a Mose, pro-
phetis, & Euangelij scriptoribus dicta sunt. Veruntamen eadem haec contra
Iudeos induci possunt, idque non sine ratione. Sarracenis enim non pauca sunt
cum Iudaeis communia. Eadem enim apud utrosque monarchiae politia, idem
polygamiae studium, eadem suillae carnis abstinentia, idemque circumcisio-
nis signum. Eodem etiam iure apud utrosque repudij libellu proprijs licet da-
re uxoribus: & aliquo uel horum uel illorum defuncto, coniugem illius frater
ducere solet. Sed ut summatim dicam, non errauisse mihi quispiam uidebitur,
si Mahometis legem confusum corruptumque Iudaismu dixerit. Quapropter
& Diuus Ioannes in Apocalypsi de lege & gente hac differens, ubi quasi per
aenigmata perstringit quae utrisque communia sunt, inquit: Dicunt se Iudaeos
esse, & non sunt. Adeo ut absurdi nihil fuerit, si communis & eadem
cum illis concertatio sit, qui quam plurima inter se com-
munia obseruant.

Apo. 2.



IN nomine Dei misericordis & cōmiserantis. Frater dile-
cte, Salutē & laudē et intercessionē à nobis fratrib. tuis hu-
millimis suscipito: at animi nostri beneuolentiā, qua in te
affecti sumus, etiā sine scriptis deprāhēdes. Scire tamē te
uelim, quod ego frater tuus humilis & exilis, opportuno
tēpore in regionē magni Amura (cuius iustitiam ut Deus
augeat imprecor) delatus sum, quē et ipse nosti nimirū ni-
hil perinde atq; laudes tuas respicere. Vitae uero tuae rationē & sententiā ab a-
micis & fratrib. quos hic habes, cognoui, qui tanto tui amore tenentur, ut nū-
quā nos uiderint, quin hoc à me cōtendant tuo nomine, ut Amuram, quo
te restituat, precari uelim. Illos igitur sic affectos uidēs, etiā ipse, licet mihi ig-
notus sis, condoleo, Deūq; ceu peccator oro, ut te à tenebris & perditione, in
quā incidisti, cōuertat. Quin etiā te obsecro, resipisce, plora, geme: Deuse-
nim misericors est. Intelliges etiā te nō solū hoc malo laborauisse: uerū & san-
cti & prophetae alijq; uiri magni & insignes Deū fefellerūt, quib. tamen pec-
cata ab illo remissa sunt, quemadmodū ipse ore suo sancto testatur, dicēs, Pa-
ratus & prōptus sum ut resipiscētē suscipiā. Quin & propheta cum Deo in
hac uerba consentit: Si quis resipuerit ab ijs quibus Deū fefellit, pro insonite
& immuni à peccato habebitur. Quod si igit & tu ceu homo lapsus es, noui
nihil accidit: resipisce tantū, & laua cor tuū, ut Deus ille misericors te recipiat.
Si enim nō peccaret homo, quō nā argumēto Deū misericordē esse & nobis
condolere deprāhenderes? Literae certe, quas scripsisti, huc trāsmisissae, nequa
quā eruditioni & honori tuo pristino respondebāt. uerūtamen affectu im-
pulsus hoc fecisti, & prophetā accusando illū, ut nosti, calumniatus es. Nōne
scripturā nosti quē à Deo per prophetā dicta est, Omnia propter te feci, & te
propter me? Sed Deū oro, ne te mors apprehēdat in perditionē. Dic tamen,
per Deū obtestor, quid nā boni tibi apud Christianos uidere licuit? Imaginā-
tur enim sibi specie falsa, quod Christū gloria extollant, cū in eundē sint iniu-
rij, dicentes hunc & Deū esse, & Dei filiū. Confuderūt uiam uerā, & hac ne-
glecta ceciderūt in morbum incurabilē. Non tamen decet, ut Musulmanus
orthodoxus eos deuoueat, sed ut potius oret pro illis, iuxta Dei & prophetae
sententiā. Rursus uero abs te interrogo: Quid quāso uidisti quod seductus
es, & in illorū fidem consensisti? Dicūt se tres personas adorare, Patrē, Matrē
& Filiū. Quis hoc unquā uidit? quis audiuit? qualis propheta hoc docuit?
aut cui unquā sanctorū per uisionē reuelatū est? † ut audiuius, in plures
partes diuisi sunt, dicūtq; alij quidem deos esse multos, alij uerò pauciores: &
de hoc quotidie disceptare solent, & cōtendere. An uel ex his eos nunquā
cōdemnare potuisti? Vae horū impudentiae, uae horū stultitiae. Deserto enim
& relicto Deo cōditore omnium, deos plures colunt, Christūq; cum sit Ser-
mo Dei falsò traducunt, quod dixerit se filium Dei esse. Nonne hunc Iudaei
interrogauerūt dicentes, Tū ne es filius Dei? & negauit, dixitq; Vos dicitis.
* Veruntamen ab Adeth usq; in hoc tempus quid nam tibi scribā? quid re-
darguam? quid doceā? Quod scilicet unus sit Deus, creator coeli & terrae: quē
admodum & ipse dixit, Ego sum Deus, et consortem diuinitatis non habeo.
Bene tamen hoc deprāhendimus: non enim, quantum audio, rudis & indo-
ctus

† Qui
* Locus obscu-
rus, libriorū,
ut uidetur, incu-
ria depraua-
tus. Videtur au-
tem per Adeth,
Adeth intelligē-
dus, Ismaelita-
rum propheta.
ue! Huth, qui
primus Ismaeli-
tarū literas di-
cit.

Es es, nisi quod corporis tui te uicit cupiditas. Nosti nimirum, an mundus principio & substantia careat? & sufficiant hæc. Prudentem uel unica seruabit oratio. Et hæc quidem per literas, illa autē absq; literis nunciata sunt. Qua ratione fieri potest, ut Deus filium habeat sine muliere? Quod si Deus filium habuerit, dissidium sanè aliquod inter ipsos oriri poterit. Quomodo item possibile est, ut Deus homo fiat? Quo deniq; modo homo factus est? Insuper, si Christus deus erat, et dei filius, cur non hominem nudo uerbo seruauit, sed quasi impotentia impeditus homo factus est, & mortuus est, ut hominem saluaret, iuxta Christianorum sententiam? Quod si deus erat, quo modo passus est? deus enim pati non potest. Cumq; Christiani Mosaicā legem transgrediantur, et propter hoc merito accusandi sint, ipsi tamen Musulmanos, qui potius laudē merebantur, incusant. Sed & ipsius Mahometi nomen & in ueteri testamēto, & in Euangelio, etiā Christo hoc commendante, descriptum erat: Christiani uero illud eiecerūt. Imò non in his tantum, sed etiam ab æterno in dextra diuini throni parte scriptum inuenitur. Postremo Musulmanorum fidem ab ipso Abrahamo originem traxisse, certis argumētis deprehenditur.

QVOD CHRISTVS FILIVS DEI SIT,

ET DEVS VERVVS ET PERFECTVS, QVOD
que Deus existens homo factus sit, iuxta theologo-
rum & prophetarum testi-
monia.

APOLOGIA PRIMA.



AGNVS est Deus Christianorum. Meletius Monachus humilis & exilis prudentissimo & sapientissimo Sampfati Isphachani. Cū literas tuas, quas ad me misisti, accepissem, intellexi quā multis mecū colloqui cupias, si mutua cōuersatione frui liceret. Temporis uero opportunitate hoc non admittente, necesse fuit scriptis hoc, quod cupiebas, exequi. Verum & ipse iam antè rescripti, et de omnibus, quibus accusas nos, pro uirili defendi, et Apologiam abs te scriptam expectaui hactenus: sed frustra. Nō multo autem trāfacto tempore, mea, quam tibi scripserā, Apologia ad me reuersa est sine omni indicio & respōsione. Miratus sum hoc uehemēter, multa et diuersa de hacre mecum considerans. Quidam uero à uobis huc peruenientes retulerunt mihi, quod cupias respōsionem hanc uel apologiam huc non remissam esse. poenituisse enim te facti. Præterea & hoc addiderunt, quod dicas, Quomodo possibile est Deo esse filium sine muliere? Si enim filium habet, en dissidium & factio inter ipsos est. Quomodo etiā possibile est, ex Deo hominem fieri? item, Qua ratione cum Deus fuerit, homo factus est? Præterea, quod si Christus Deus erat & Dei filius, cur nō hominem uel nudo aut solo uerbo seruauit, sed quasi impotentia impeditus, homo factus est, mortēq; subiit ut hominem saluaret? Insuper, si Deus erat, quomodo passus est? Deus enim